



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Der Zweyfache Seegen Gottes In Aufrichtung und  
Einweyhung Des Neuen Gottes-Haus S. Felicitatis zu  
Münster-Schwartzach Von dem Hochwürdigsten/ des Heil.  
Röm. Reichs Fürsten und Herrn/ Herrn Friedrich ...**

**Brendan, Ignaz**

**Wirtzburg, 1743**

Wolfgangus Zobellus Abbas XLVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64386](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64386)

gligentia oriri intelligeret Melchior ( simul quod justissimæ Religiosorum contra Abbatem querelæ accederent, quem conflasse magna debita, & bona multa vendidisse agrè ferebant ) Leonardum loco motum suam in arcem primùm, dein in Monasterium S. Stephani transtulit; ibi biennio commoratus Abbatiam Auracensem ad Salam fluvium obtinuit à Friderico Ep. Wirc. rursus ab hoc officio paulò post amotus in Monasterio S. Jacobi Scotorum extra urbem degere iussus, ibidem fatis defunctus est.

**WOLFFGANGUS Zobellus**  
**ABBAS XLVIII.**

Wolfgangus Zobellus *Tubaro - Röttingensis* Leonardum secutus est 1556. pridie Joannis Baptistæ, eò præclarioribus ad sustinendam hanc dignitatem dotibus ornatus, quò plures in ejus Antecessore desiderabantur. Corpus quidem infirmum & debile, mentem excelsam nactus erat; cùmque disciplinæ religiosæ ipse studiosissimus esset, ad amplectendam illam gregem subditum nullo pene negotio permovit. Magnam debitorum, quæ Leonardus patrimonii S. Felicitatis in-



felix decoctor, conflarat, partem exolvit, & redemptâ à Nobilibus de Wichsenstein decimâ in Kiefenbach, domum pro infirmis loco commodo extruxit. Præterea intelligens Wolffgangus Abbatem Langheimensem Fridericum ægrius laturum esse, oppignoratam decimam & census in Escherndorff & Ostheim redimi; Bonorum istorum usumfructum Georgio Ludovico à Seinheim concessit, suâ ut operâ & auctoritate bona ista recuperaret. Quod etiam præstitit; anno Christi 1563. ætatis suæ quadragesimo Wolffgangus paralyti tactus ex hac vita decessit.

**JOANNES** Burckardi, h. n. IV.  
**ABBAS XLIX.**

Conceptum ex Wolffgangi morte dolorem brevî absterfit auspiciatissima Joannis Burchardi Weissenbürgensis Norici electio; in quo, quidquid in Wolffgango amiserat, cumulatè Monasterium recepit, Abbatem numeris omnibus absolutum: Electus an. ætatis 26. festo S. Joannis Baptistæ Abbatis insignibus condecoratus fuit A. C. 1563. Quoad vixit, Præsulum laudatissimorum vestigiis insistens multa fecit, ex quibus & illi & Monasterio